


Biblioteca
Sormani
Andreani Verri
Casella N.° 78-18

101


Tomas Formentus Inu. et del.
G. Poer Sculp. Mediol.

EMIN.^MO AC REV.^MO PRINCIPI

D. ALVARO

E SOC. JESU

S. R. E.

CARDINALI CIENFUEGOS

ARCHIEPISCOPO MONTIS-REGALIS

GERMANIÆ COMPROTECTORI

SAC. CÆS. CAT. MAJESTATIS

CONSILIARIO INTIMO

ET APUD SANCTAM SEDEM LEGATO

JOSEPH PERUS MEDIOLANENSIS

Se ſuamque Theologicam Lauream

IN ACADEMIA BRAYDENSI

Societatis JESU

SIBI COLLATAM

Anno MDCCXXVI.

D. D. D.



MEDIOLANI

Ex Typographia Joſephi Pandulphi Malateſtæ.

Superiorum permiſſu.

EMIN.ME PRINCEPS.



Heologicâ initiandus laureâ non tàm me tibi ſiſto PRINCEPS EMINENTISSIME *, quàm te ipſum tibi . Veritus , ne audaciâ clientis ſuboffenſus ejuſdem faſtidio caperere ,* Prometheum *primo in diagrammate inſcripti nominis vindicem proponendum tibi ſtatui . Ex eo intelliges , cur tantum ſplendoris , ac ornamenti laureæ huic meæ arceſſerem , teque à graviſſimis curis evocatum eidem Mecœnatem inſcriberem . Nunquam veroſimiliùs luſit Fabula ; & quæ mortalium animos exprimit morum magiſtra Poëſis , in Prometheo ſibi eximiæ virtutis heroem effingens , evoluto fabulæ cortice , te unum viſa eſt indicaſſe . Quemadmodùm enim in Prometheo animi amplitudo , æquitatis amor , ac futuri provida mens adumbratur , quod ait Zezes interpres fabularum ; quemadmodùm inſuper è cœlo ignem abſtuliſſe idem dicitur , quòd rerum divinarum , ac philoſophiæ cognitione cæcutientes terras omnium primus illuſtrarit ; primuſ-*

que ipse oculos mortalium ad contemplanda cœlestium corporum arcana ingenito quodam tùm meditandi, tùm suadendi ardore impulerit, ut olim sensit Theophrastus: ita qui sis, Antistes Amplissime, quæ sit opinio nominis tui, quamtumve terris sidus affulgeas, substans imagini tuæ Prometheus velut è tuo vultu ac sinu ejaculaturus ignes explicabit. Agnosces aliquandò quem notum omnibus, tandiù ignotum tibi uni voluit modestia tua. Et sanè quam tibi mentem tot diversarum rerum moderatricem, summoque parem Orbi intelligentiam Superi concesserunt! Qui te propiùs noverunt, vident à gravissimis muneribus ad alia demigrantem, ac velut integrum à labore meditantem, ac obeuntem majora. Vident animum sub nullâ occurrentium ex improviso difficultatum mole fatiscentem, nunquam solutum, eodem semper impetu nova, ac difficillima quæque felicissimè arripientem. Ulyssiponem Caroli Hispaniarum Regis Orator ingressus ut statim tibi Urbis obsequia, Aulæ plausus, amoremque conciliasti? Difficillimis temporibus suprema cum potestate, quod nulli ante te contigit, apud Lusitanum Regem, tùm ipsius Caroli, tùm Augustæ Matris nomine, penitiora & belli, & pacis negotia procurasti; eo Principum favore, ac laude, ut Austriaci spes imperii uni propè tibi credita esse videretur. Romanam modò pro Cæsare legationem obis: quâ in tractandis negotiis sedulitate, quâ felicitate, ac maturitate in deliberandis, qua Summorum Pontificum, Italiæque universæ de te concepta opinione, abundè tot annis prædicat Fama, quæ nec diù sibi constare, nec in idem tandiù consentire potuisset, nisi virtute tuâ ipsius invidiam, ac præconia superasses. Atque non semel illa se laudibus tuis imparem testata est, tuæque mentis amplitudine victam. Quoties suspexit aciem ingenii tui, ardoremque in penetrandis adytis naturæ, ignis in morem omnia celerrimè pervadentis? In Salmanticensi Lycæo primos divinæ ratiocinatricis facultatis gradus occupasti: Quanto Auditorum numero ex Hispania universa ad te unum confluente! Is certè eâ clarissimâ in gente ingenii tui percrebuerat rumor, ut sacras explicaturus ambages raperes unus Sapientium populum, & Hispanienses Athenas. Exinde Triadis augustissimæ arcana Mysteria, inaccessamque Divinitatis caliginem ingressus, ea investigasti tàm acri ingenii tentamento, ut Literatorum Respublica magnanimos ausus tuos, & felicissima inventa miretur, tibi publico Famæ præconio novam Theologicæ scientiæ additam lucem æternum gratulatura. Facultatibus contemplatricis animæ addidisti amœniorum studia literarum. Poësin adeò amasti, ut tibi tot publicis curis distento,

occu-

occupatoque adhuc pateant Castalii fontes. Crebris per hortulos Poëtarum privata etiam inter colloquia excursionibus, passim interseris exquisitiores Musarum delicias, pari aurium oblectamento, ac fructu animorum. Verùm nunquam propiùs ignes gentilitios es imitatus, nunquam te suspexit utiliùs Hispania, quàm cum te vidit vel aureo facundiæ imbre insinuantem animis mortalium virtutis amorem, vel magnis eloquentiæ fulgetris adversùs vitia detonantem. Et libri à te perenni gentium beneficio editi, & familiaria passim colloquia inflammata sacro pietatis ardore testantur adhuc, quantùm valeas facultate dicendi. Quamobrem iterum à te revocor in Lusitaniam, cùm, inter publica regiæ legationis officia, magisterium aggressus animorum, Nobilium pauperum cœtum sumptibus tuis institutum, celeberrimi Cardinalis Ximenii æmulator egregius ad severioris vitæ leges hortabare. Ut illustres animas nativo eloquentiæ genere tibi cælitùs concesso percellebas! easque jam Numinis capaces, & ad perfectam, cumulatamque virtutem excultas in divina volentes abripiebas! admirante Ulyssipone non minùs munificentiam animi, tot ac tanta in Dei gloriam irrogantis, quàm præsentem adeò, ac singularem vim persuadendi. Hæc tibi de te in hujusce inaugurationis diagrammate Prometheus, Eminentissime Princeps. Quamquam nondum in eo totus cognosceris. Etsi enim Virum illum egregium ad infima quæque virtutis amore sese dejicientem, & mortalium beneficio omnia munificè profundentem græco carmine Æschylus celebraverit, quantulam tamen idcircò tui partem Prometheus repræsentat! Vix ex Aulæ strepitu, atque splendore, adhuc religiosæ adscriptus familiæ in sacrum Societatis recessum te proripiebas, ut non ampliùs Orator regius, non ampliùs Cæsaris favore conspicuus videre. Oblitus qui nuper fueras, te tibi, tuisque redditum lætabare: obibas alacer dejectiora domus officia: ægrotantibus aderas frequens, eorumque munera lætus implebas. Extant adhuc, qui te alium domi, alium in aula conspicati quærerent attonitis similes, an ille esses Alvarus, cui nuper Viri Principes, & Regia plauderet universa. Adeò magnanimitatis æquas officia, ut munera utriusque sortis ad miraculum propè occupaveris. Verùm prodat demum sese mitissima illa comitas, & in amplissimo Principe mira illa morum suavitas; prodat, inquam, sese tantæ humanitati comes, quæ tota plane tua est, beneficentia, quæque tantùm in te eminet, quantùm cæteras inter virtutes splendore suo oculos ad se omnium trahit. Hæc tecum nata te ad hunc dignitatis apicem evexit, ut omnibus prodesses. Nihil habes, quod reputes tuum; hoc

 unum

unum tamen unicè tuum, ut omnibus prodesse velis; atque ita interdum prosis, ut ne tibi quidem reserves, quo inposterum possis: licet singulari quodam beneficentiæ prodigio nunquam tibi desit, quo inexhaustam, inexpletamque probes indolem benemerendi. Quæ quidem omnia cum sublimiora sint, quàm ut repræsentari penitus à Prometheo possent, veram Gloriam, quam rerum gerendarum auspicem, ac administram adhibes, Philosopho illi prorsus ignotam, perpetuam tibi comitem, & adjutricem, insignibus tuis adstantem posui. Hæc vultus tuos, ignesque gentilitios respectans, & mirata quantum sibi fingendum ad cœlestia heroem natura dedisset, Moderatrix ipsa operis, ac Arbitra, nativa decora, præmia fortunæ, reliquasque egregias dotes, ingenio, ac exercitatione à te comparatas ad ea instituit munera, quæ te Prometheo longè majorem, admirandum omnibus, cæteris vix imitandum effecerunt. Quamobrem, Mecœnas amplissime, ut magnum beneficentiæ tuæ munus fuit, quòd laureæ huic meæ nomen concesseris, ita alterum adde benevolentiæ tuæ, quòd me aliquâ igneæ tuæ lucis aspergine irradies, meæque laureæ amplissimo nominis beneficio patrocineris. Excipe me, quâ reliquos soles, humanitate; atque hoc munificentiæ tuæ auctoramento, quod maximè potes, insere theologicæ huic laureæ perennitatem.



EMI-

EMINENTISSIMI PRINCIPIS
NATIVA DECORA
GENTILITIIS IGNIBUS ADUMBRATA
PER OMNES
MULTIFORMIS VITÆ STATUS
VERÆ GLORIÆ FAMULANTIA
BRAYDENSES MUSÆ
EXHIBEBANT.

NOBILITAS GENERIS.



Pura de Luce.



Vividus unde levi ſurgit crepitante favillâ
Ignis apex? Aut unde cavo Cryſtallinus Umbo
Tanta ſinu potuit miracula promere rerum?
Scilicet huc totum pleno ſe lumine Titan
Infundit: Puræque inſpirans ſemina flammæ,
Fœcundos cogit radios; dum tramite recto
Se virtus Vitreum ferat indeprenſa per Orbem,
Et puros Pura de Luce *exſuſcitet Ignes.*
Longiùs arcanas nequicquam evolvere cauſas
Quid moror, unde tibi Vigor Igneus, ALVARE, mentem
Tantus agat, pulchriſque incendat ad ardua votis?
Noſſe mihi ſatis eſt claræ decora inclyta Stirpis,
Ingentem rerum ſeriem, & memoranda tuorum
Facta Patrum, antiquæ deducta ab origine Gentis.

 Nam

Nam quos non Populos, quas non pervaſit ad Vrbes
Magnanimûm Fama Heroum; quos nobilis olim
Laudis amor Patriæ afflictis ſuccurrere rebus
Impulit, Heſperios iret cum fœda per Agros
Tempeſtas, Libyæ Terris effuſa cruentis?
Nunc etiam Nomadum gemeres, Hiſpania, duro
Preſſa jugo; Oceani Borealibus Aſtur ab Oris
Ni ferat auxilium miſeræ, primoque laceſſat
Marte Libem, & campis auſus deſcendere apertis
Imbuat ultricem Getulo ſanguine dextram.
Nempe illinc primæ ſpes affulgere ſalutis
Debuit; Heſperiæ quò Flos confluxerat omnis,
Quò veterum Sanguis Regum, Soboleſque potentûm
Clara Ducum, ſubito bellorum pulſa tumultu.
Ex illo Proavos jam tum Natura, Patreſque
Heroum numero tibi legerat, ALVARE: Jam tum
Ex illâ tibi Luce Genus, dignumque parabat
Stirpe Decus: Patria ut quondam voluentibus annis
Gloria nativos animo tibi ſubderet Ignes.

Abbas Carolus Origus.



VIS

VIS INGENII.



Quò propior Cœlo.



SUlphureus primos Calamus vix concipit ignes;
Jam fugit, & celerem carpit ad astra viam.
Aëriosque supra colles, supra ardua surgens
Nubila, spectantûm vanuit ex oculis.
Nec se iterum Terris priùs ille ostendat opacis,
Centena ignivomo quàm pluat Astra sinu.
Interea variis cæcum secat aërea spiris,
Et multo circùm se levis orbe rotat:
Intus agens donec sublimem ad sidera flamma
Urgeat, & Cœli det regione frui.
Hìc tandem inclusos ruptis compagibus ignes
Evomit, & Vulgi lumina luce rapit.
Quò propior Cœlo, *radios magis ille comantes,*
In tremuli morem sideris, axe jacit.

Eminus æthereis certantem dixeris Astris:
Flammea tot latè spargit Arundo faces.
Haud secus Ingenii primis sublimis ab annis
Vis est, MECOENAS, surgere visa tui.
Ætatis non illa moras, non ignea metas
Passa, per insolitum tendere gaudet iter.
Palladiasque Artes, doctaque abstrusa Stagiræ
Culmina nullus erat jam superare labor.
Æthereis juvat ire plagis, juvat ardua Cœli
Scandere, & arcanas corripuisse vias.
Fervida quid memorem celeris luctamina mentis,
Ascensu Cœlum cum propiore subit?
Hìc omnes tandem nisus ciet illa: latentes
Inter & ambages se jaculata rotat.
Cæcaque sacrarum penetrans Mysteria rerum,
Haud satis humanis pervia luminibus,
Signat iter radiis; Tum largos lucis in imbres
Solvitur, Ingenii spargit & Astra tui.
Dumque rapit lux illa oculos, animosque tuentûm,
Abdita quà Cœli sint adeunda, docet.

Marchio Paulus Camillus de Abdua Princ.



ANI-

ANIMI ROBUR.



Vis pellit intus.



N*Equicquam aheni vincula carceris*
Ignem coërcent. Ætheris arduos
Visura tractus, pervicaces
Ipsa moras operosa Flammæ
Vis pellit intus: *Dum loquor; aspicis,*
Ut astra recto jam subit impetu
Ferrata Moles? Ut reclusis
Cum sonitu latebris, per auras
Concepta latè incendia depluit?
Disrupta hiatu multiplici procul
Fragmenta dissultant: Fragorem
Attonitâ bibit aure Vulgus.

 Non

Non ſemper alti conſilii Viros
Magna auſpicatos propoſiti tenax
Impellit ardor : Sæpe in arctis
Cœpta cadunt animoſa rebus.
At, quæ calentis Vis tibi pectoris
Occulta fibras permeat, exitum
Non illa, MECOENAS, vetantes
Victa moras patitur, nec altis
Decedit auſis. Rebus in aſperis
Nunquam remiſſo ſe ſe agit impetu
Obnixa Virtus; dum tenacis
Cœpta Animi generoſa fine
Claudat ſecundo. Perge, per arduos
Quò magna caſus te rapit Indoles.
Trans Bactra Nomen, trans Eoas
Fama tibi properabit Oras.

Dominicus Centurionus ex Coll. Nobilium.



BE-

BENEFICENTIA.



Par millibus una.



Quamprimùm Occiduis Titan demergitur undis,
Et Terras velo Nox tegit atra ſuo;
Ecce tibi, Speculis quæ tota micantibus Aula
Nuper erat purum vincere viſa diem;
Jam denſis latè tenebris involuitur: Omnis,
Quo Pompa ardebat Vitrea, fulgor abit.
At medias ſplendet vix Ignea Teda per umbras,
Et radios circum dividit una ſuos;
Protinus acceptâ Cryſtallina luce Supellex
Fulgurat, & multas explicat Aula Faces.
Nam velut in Stellas Phœbus ſe dividit omnes,
Damna ferat lucis quin tamen ulla ſuæ;
Haud aliter Speculis donat par millibus una,
Quin ſua depereat lux ſibi, Teda jubar.
Jam non innumero mirer Tibi plena Cliente
Atria, MECOENAS, munificamque Domum.

Hæc Animi fœcunda tui eſt, hæc prodiga Dextra
Muneribus nunquam Vis minuenda tuis.
Nempe illuc inopes fas eſt accurrere turbas,
Implet ubi cupidas Copia larga manus.
Nec ſolum tua laus miſeræ ſuccurrere Plebi,
Cui pudor eſt facilem poſcere nullus opem;
Sed magis ille tuæ ſentit pia munera Dextræ,
Cui jactura magis lucis acerba ſuæ.
Obſcura quoties noctis quem preſſerat umbra,
Splendori per Te redditus ille ſuo eſt.
Si videas, ſatis: Aſpectus ſatis unus in omnes
Dives inexhauſto lumine fundit opes.
Tanta manu Tibi, tanta amplo de Pectore Virtus,
Ditandis par *vel* millibus una, *fluit.*

Comes Hieronymus Cribellus.




PRU-

PRUDENTIA:



Quà ſit iter.



T*Urbida devexo latè Nox ſurgat Olympo,*
Horreat & denſis aër, atque unda tenebris:
Nimbiferos vaſto de carcere liberet Auſtros
Æolus, & ſparſas Cælo det cogere nubes:
Eripiant illæ ex oculis radiantia ſupra
Sidera, & Arctoas umbrarum abſcondat amictu
Nigra procella Faces: Certo tamen æquora curſu
Nauta ſecat; modò ſublimi procul ardua Turri,
Quà ſit iter, *puro per noctem lumine Flamma*
Edoceat, Portuſque, atque hoſpita Litora monſtret.
Scilicet hæc illa eſt, rebus quæ, PRÆSUL, in arctis
Prælucet Dux fida Tibi, Vis ignea mentis,
Non alacres tantùm accendens in pectore vires,
Sed certas quoque luce vias, ad proſpera donec

Feſtines eventa, docens. Caligine cæcâ
Nequicquam rerum facies obducitur: Atræ
Nequicquam coëunt circumque, ſupraque tenebræ;
Ambages quæ mille tegant, facileſque morentur
Ad metam curſus: Caſus Tibi celſa per omnes
Monſtrat iter vigili Prudentia lumine fulgens,
Non illa aut nebulis, aut triſti obnoxia nocti.
Externos Alii ductus, aliena ſecuti
Conſilia, evadant nigri diſcrimina ponti.
Laus ea jam vulgata.. Tua Tibi clauditur intus
Dux Cynoſura viæ. Felix! Quem certa per umbras
Ducit, & ad tutos Lux dirigit intima Portus.

Comes Joſeph Antonius Caccia.



AGEN-

AGENDI CELERITAS.




Sonitum prævertit.



Q*Valis, nube cavâ cum Fulminis ira triſulci*
Ad Terras cadit; ictibus illa
Prævertit ſonitum : *Et vaſtas inopina ruinas*
Ante tulit, quàm corda fragore
Straverit horrifico, aut Teli grave murmur hiulci
Attonitas pulſaverit aures:
Fulmineas talis vires ciet ALVARUS, alta
Multarum molimina rerum
Cum ſuperanda ſibi aggreditur. Mora nulla: Per omnes
Ecce volat penetrabilis artes
Ignea mens: Ductuque priùs perfecta ſecundo
Cœpta vides, quàm nuncia Fama

Talia tentantis caneret primordia Dextræ.
Virtutis Veſtigia tantæ
Nequicquam enumeret Tagus , Iſter , Duria , Thybris.
Geſtorum ſatis ampla tuorum,
MECOENAS , monimenta canunt , ſi Te ſua quondam
Tranſvectum prope Litora dicant.

Comes Maximilianus Spinula ex Coll. Nobilium .



VITA PRIVATA IN SOCIETATE JESU.



DUm claros alii titulos, atque inclyta facta
Antiquæ referunt, Alvare Magne, domus,
Dum vigor ingenii, duris constantia rebus,
Largaque muneribus dextera, comis amor,
Cæteraque egregiè laudum descripta tuarum
Obsidet augustum splendida turba Thronum;
Carminibus, Princeps, non indignabere nostris,
Demissa ante oculos si tibi Diva venit.
Non cupit hæc plausus, non ambitiosa theatrum,
Sed tacita, ac tenebris tecta latere velit;
Ut fugit exiguo concussæ murmure frondis
Territa, seque cavo pumice condit avis;
Attamen illa tuam secura intraverat aulam,
Ut tacitas sylvas, sacraque tecta solet.
Nec famulûm obsequiis turbata, aut Principis ostro
Visa tuo est lateri semper adesse comes.
Quæsieram, timidæ quæ sit fiducia divæ?
Musaque sinceris reddidit ista modis.
Quam petis, hæc toto res est celeberrima Cœlo,
Hactenus in terris non tamen illa fuit.
Conspicuis dives vix viderat Alvarus auras
Dotibus, & clarâ nobilitate puer,
Aurea Religio patriis hunc sumpsit ab ulnis,
Quem sibi formaret, militiæque suæ.
Virtutumque cohors accesserat omnis ut illi
Jungeret artifices officiosa manus.
Ornamenta operi divinum lumen, & aura,
Et nivei mores, ingenuusque pudor.
Jamque animos pueri dociles experta labore
Quæque suo, inceptum sollicitabat opus.

Ut celer it molli sculpentis dextera ceras;
Ut celer in telis dædala pingit acus,
Ultima demisso venit virguncula vultu,
Quæque suas velo cauta tegebat opes,
Sed circumspiciens radiantia stemmata mille,
Et pueri ardentes pectore mille faces,
Fulguraque ex oculis majoris nuncia lucis,
Substitit, &, nobis bella parantur, ait:
Nam, memini, illustres alios ingressa penates,
Heu! dolui, primas ingemuique moras;
Expulit ambitio nimio me laudis amore;
Expulit & pennis turgida fama suis.
Magne puer, celebrent aliæ tua limina divæ,
Me timidam tantum cogit abire jubar.
Jamque pedem referebat: eos sed protinus illi
Religio excussit, talibus orsa, metus.
Quo fugis? & reliquas cur deseris una sorores?
Nullæ hic insidiæ, nullus & hostis erit.
Alvarus hanc lucem sub paupere condet amictu,
Dum tuus ad Iesu signa vocabit amor.
Et licet ingenio magnum mirabitur orbis,
Et canet eloquio, consilioque parem;
Ille tamen contemptor opum, famæque, suique,
Quà poterit velo se teget usque tuo.
Hunc varii casus, hunc splendida munera, Regum
Hunc favor, hunc magni Cæsaris aula petunt.
Non tamen eripient hunc splendida munera, Regum
Hunc favor, hunc magni Cæsaris aula tibi.
Lusiadis quoties linquens palatia Regis,
Et quas præbebit luxus & aula dapes,
Optabit parcis sociorum accumbere mensis;
Et famulas mensis apposuisse manus?
Pauperibus quoties, raptas Magnatibus, aures,
Sontibus ut sanet saucia corda, dabit?
At quid aget, Caroli cùm votis mota, parabit
Purpureos inter Roma referre Patres?
Cæsaris ante pedes repetet lachrymansque gemensque
Juratam superis, & tibi Diva, fidem.

Vincet

Vincet Amor Caroli: Paſtoris juſſa ſupremi
Hunc poterunt clauſtris eripuiſſe tuis.
Ne tamen adverſis deſperes anxia rebus;
Magnanimo ſedes pectore certa tibi eſt.

Abbas D. Jo. Petrus Perinus Princ. Emer.




STUDIUM SALUTIS ANIMARUM.




DIva fides, & divus amor ſimul axe ſereno
Reſpexere, faceſque ſuas jaculatus uterque
ALVARI inexpletos animis accenderat ignes;
Quanta per Heſperias fervent incendia terras.
Et centum populos, & centum corripit urbes
Flamma, ſacri latè erumpens de pectore Myſtæ!
Ite procul nigræ, ſcelerum contagia, peſtes
Indecores Animæ, damnataque nocte profundâ
Monſtra Erebi, ite procul, ſtygioſque repoſcite luctus.
Alvarus ignito pallentia in antra flagello
Vos remeare jubet, regniſque faceſſere Iberis.
At ſimul Impietas ſenſit ſibi tartaro ab imo
Bella geri, impatiens ſuperas evaſit ad auras,
Et latè Heſperiæ loca lumine circumſpexit.
Ut vidit divina iterum floreſcere ſacra,
Et conjuratum luſtralibus ignibus orcum
Diſiectum, ſanctiſque Tagum exardeſcere flammis,
Tum verò acta amens furiis labra livida mordet,
Et de gorgoniis avulſum crinibus anguem,
Viſcera paſturum, medio ſibi pectore figit.
Quod ſupereſt (parvæ ingentis ſolatia luctus)
Teque faceſque tuas fruſtra vovet, Alvare, diris.
Sed tuus interea flammis victricibus ignis
Dedocet errantes, vitiataque pectora noxis
Expiat, & reſides animos, deſuetaque pridem
Corda virûm, pulchro Cæli ſuccendit amore.

Parte omni aſpicias mediâ e teſtudine templi
Fixa tholis pendere ſacra ad faſtigia divûm
Irarumque fibras, fractoſque cupidinis arcus,
Argentique famem, divæ monimenta favillæ,
Exuvias erebi triſtes: rem carmina ſignant.
De monſtris animi domitis, fractoque acheronte
Alvarus hæc poſuit Superis victoribus arma.

Marchio D. Gaſpar de Roſales ex Coll. Nobilium.



VIRTUTES ET RES GESTÆ
SANCTI FRANCISCI BORGIÆ
HISTORICÈ DESCRIPTÆ.



POſtquam felici Franciſcum funere raptum
Fauſtior æthereis intulit aura plagis,
Flevit Aventinus, flerunt Capitolia, flevit
Ipſe Thybris cari fata gemens capitis.
Aurea virtutum ſoboles orbata parente
Implebat Romam flebilibus numeris.
Quin etiam auratos modò ſpargere pulvere crines,
Et pectus manibus plangere pallidulis;
Et modò Franciſci lachrymis urgere ſepulchrum,
Et gemere ad mutos exululans cineres:
Tandem poſt longos (miſerûm ſolatia) fletus,
Hiſpanum repetit ſqualida turba ſolum:
Erravere diu paſſis per eburnea colla
Crinibus, indignas imbre rigante genas.
Sæpe udo conſiſtebant in margine Bætis,
Aut propter flavi litora curva Tagi,
Narrabantque ſuos ventiſque undiſque dolores:
Commiſerat triſtes ventus & unda Deas.
Donec poſt varios caſus, noctemque profundam
Attulit optatam lux inopina diem.

Accidit ut notas audires, Alvare, voces,
Et querulos, cœtus quos dabat ille, ſonos.
Condolet afflictæ tua ſic clementia turbæ,
Ut dare deproperes, quam bona poſcit, opem.
Vivite felices, pia vivite turba, Sorores,
Mox etiam veſter Borgia vivet, ais.
Victuris ſubito, Princeps, per ſæcula chartis
Aggrederis raptum pingere Borgiadam;
Et non mortales mortali in imagine vultus,
Et ſimilem magnis frontem habitumque Diis.
Deinde animum reddis cæleſtem, & numine plenum,
Cordaque non ullis tacta cupidinibus.
Stat ſua quæque loco virtus, atque ordine pulchro
Fungitur officiis iſta, vel illa ſuis.
Vidit opus Cælum, fixumque in imagine, vix non
Sedibus ereptum credidit eſſe ſuis.
Mors pariter vidit, ſimilique errore laborans
Heu jam ſanguineas vix tenet atra manus.
Deceptam riſit deterſo lumine virtus,
Namque operi æternûm vivere fata dabunt.

Archangelus Jovius.



SAL-


SALMANTICENSE MAGISTERIUM.

ERige laurigeram, felix Salmantica, frontem,
Et lætare novum media inter ſidera Solem.
ALVARUS hiſpanis memorabile nomen in oris,
Ingenio par, & ſtudio, doctiſſimus unus
Arcanas rerum meditando extundere cauſas,
Quæque obſcura latent ſublimi evolvere mente:
Nec modò naturæ pervadere viſcera ſolers;
Sed fidei cæcos aditus, penituſque repoſtos
Cæleſtis ſophiæ prudens penetrare receſſus,
Velatamque Dei ſacrâ caligine mentem,
Atque exploratum ſine nube docere Tonantem,
Accedit veſtræ columenque, decuſque minervæ.
Aſpice quantus honos fronti, quantum inſtar in illo eſt.
Legit in hoc ſibi manſuram ſapientia ſedem,
Et facili primas venientem lucis in auras
Lumine reſpexit, gremio complexaque, labris
Uberaque immulgens, divinum preſſit in ore
Nectar, & excelſæ dedit ignea ſemina menti,
Afflavitque pares animos præſtantibus auſis.
Quas Stoa, quas Memphis ſiluit, dabit Alvarus artes;
Et quæ Cumeumque adytum, cortinaque Phœbi,
Delphorum tripodas, Dodoneique lebetes
Non docuere, docet: credas oracula Divûm
Quæ reſponſa refert cedro dignanda perenni.
Jam nunc Auſtriaci hoc ſidus tibi Cæſaris Aula
Invidet, & duplex feſtinat habere Tiara;
Et Vaticanus, merces ampliſſima, Murex
Hujus ab immensâ properat ſplendeſcere luce.
Quis tibi tum ſenſus, quis honos Salmantica? quæ tum
Gaudia erunt, cum dardanio ſpectabilis oſtro
Dividet excelſas in publica commoda curas?
Purpureique Patres, & maximus Urbis & Orbis
Illius auguſtâ fulgebit luce Senatus?
Quanto tum felix tua ſe ſe Academia plauſu
Extollens, alias inter longè altior ibit?

Comes Gaſpar Padus.

ÆNIM-

ÆNIGMA THEOLOGICUM
SEU LIBRI DE TRINITATE.
Alluditur ad Programma illis præfixum.



UNde hic unde novus Tibi mentem insederit ardor,
Ut cæcos aditus, Divûmque arcana subires
Impavidus, densasque implexi Ænigmatis umbras
ALVARE, quis dederit Tibi tanta ad munera vires,
Vestigare juvat; quanquam hæc non hactenus ulli
Explorata, tamen non sunt impervia Musis.
Viderat etherea Superûm Regnator ab arce,
Quàm latè fureret, quantas daret horrida clades
Hæresis, interitum fidei minitata vetustæ.
Ergo qua Cœli secreta in parte coruscat
Puriùs, & rutilis flammantior aula pyropis
Ardet, inaccessusque humanis visibus horror;
Concilium immortale vocat. Chorus adfuit omnis.
Adfuit æterno fulgens Sapientia Sole,
Justitia, & Pietas, casusque Pronæa futuros
Quæ regit, & rerum effectrix Suprema Potestas.
Tum Genitor solio Divas ita fatur ab alto.
Dira Phalanx stygiis jamdudum erupit ab umbris,
Infausto Superos jurata lacessere bello.
Jam prope se partes circum diffudit in omnes
Exitium, flammasque ferens. Jacet obruta passim
Religio, palmasque gemens ad sidera tendit.
Nec satis est nostro per fraudem avertere gentes
Obsequio, & fixas per vim rescindere leges,
Et terras miscere, novosque extundere ritus
Invisos, templisque meos arcere ministros.
Nos quoque, nos petimur, nobis hæc monstra minantur.
Primus inaudito mihi bella Sabellius ausu
Intulit, e gremio natum rapuisse paterno
Haud veritus, tum me non re sed nomine Patrem
Dixit, & ex utroque fluentem extinxit amorem.
Quas non inde novas Lybicos excivit Arius

Per

Per populos turbas, dum Natum Patre minorem
Finxit, factarum primum licet ordine rerum?
Quid Paulum, Faustumque loquar, turbamque sequutam
Audaces ad bella Duces, nostræque paratos
Perdere si liceat decus immortale coronæ?
Æternis sedenim damnata hæc monstra tenebris
Jam pene exciderant, jam pene oblita jacebant.
Cum novus Arctois turbo violentus ab oris
Incubuit, referens jam detestata priorum
Dogmata, nequidquam cultu donata recenti.
Jamque iterum vomit antiquum rediviva venenum
Hæresis in vulgus, rursumque Sabellius ore
Serveti furere, atque referre Socinus Arium.
Non impune tamen; quas non post crimina clades
Senserunt miseri, meque indignante tulerunt?
Sed nihil his actum est; etiam post fulmina pestis
Serpit, adhuc victrix, nostrisque interrita telis.
Ergo quæ nostræ steterit sententia menti
Accipite. Ultrici quando satis hactenus iræ
Justitiæque datum est; Te nunc, Sapientia, cæcis
Insolitas inferre faces, mentisque tenebras
Dispersisse decet; radiis fortasse novellis
Submittent faciles se se, lucive rebelles
Ipse reluctantes pudor, aut nova fulmina cogent.
Hæc Pater. Assensere omnes, plausumque dedere
Adstantes Divæ, tum se Sapientia Cœlo
Demisit, patrios complere ex ordine nutus.
Tempus erat quo sublimi super æthera mente
ALVARUS, humanas despectans undique curas,
Divinarum aditus rerum, sacrosque recessus
Lustrabat recolens, densoque abscondita velo
Arcana, & fidei mysteria cæca supernæ.
Scilicet æterni non ennarrabile Patris
Qua Verbum ratione fluat, quem spiret uterque;
Alternis se se dum contemplantur, Amorem
Attonito similis spectans, & pronus adorans.
Ah *Pater haud ulla manans ab origine Numen!*
Ah *Nate ingeniti soboles æquæva Parentis!*

Ah

Ah *amor, & Patris, Natique è Numine Numen!*
Talia dum memorat lux improvisa loquentis
Perstrinxit fulgore oculos, totamque pererrans
Insolito pavidam pervasit lumine mentem:
Ipsa aderat, tantamque dabat Sapientia lucem
ALVARE de Cælo, tecumque his vocibus usa.
Nostra viden quanta lateant mysteria nocte?
Hanc noctem, has tenebras objecta luce fugare
Fas Tibi, sic jussit Pater, & diducere velum,
Quo tegitur Numen, cæcosque resolvere nexus.
Ne dubita; Tibi ternæ aderunt ad tanta Sorores
Munera, queis Divûm labor est exponere mentem.
Hæ quamvis vario soleant incedere cultu
Nec semper sentire eadem; licet acria secum
Bella gerant, pulchro tamen omnes fœdere junctæ
Quæque Tibi præstabit opem, audentemque juvabit.
Ipsa etiam, ipsa pares supplebo ad grandia vires.
Tu modo qui gemino se se indistincta propaget
Allapsu Natura doce, quin pluribus obstet
Esse unum, Natumque Pater quo more feraci
Juge queat genuisse sinu; quî Natus eadem
Natura cum Patre potens, dum mutua se se
Respiciunt, spirent quo ardent feliciter Ignem.
Hæc doceas: tum se se iterum si tollat ab orco
Monstrum horrendum informe ingens, *claramque recuset*
Aspicere in lucem; stygius si sibilet anguis
Atque venenato minitetur vulnera morsu
Tum Tua Vox dirùm resonet, verumque per auras
Ingeminans Numen, centeno fulminet igne.
Hæc olim Tibi jussa tulit Sapientia Cælo.
Ex illo qui se plausus, quæ fama sequuta,
Dum Triadis secreta aperis, nodosque resolvis
Vidimus, & nunquam satis admiranda, videbunt
Post alii. Et ne forte olim, qua luce magistrâ
Scripseris hæc, tantique Tibi moliminis author
Quis fuerit, tenebris involvat sera vetustas,
Cuncta Tuo inscribi voluit Sapientia libro.


Joseph Cossa ex Coll. Patellanorum Princ. Emer.

IN

3°
IN IDEM ARGUMENTUM.


שיר

בצוות אל העם תורה
על-הר סיני רב גבה:
ירד אל כי הלפידים
בתוך הענן וברקים:
ותקע בשופר מאד
לרעוד כל-הר ופחוד:
אז בני ישראל ראו
יורד את-יהוה ורעדו:
יוצא משה כל-העם חוץ
אשר מן המחנה אוץ:
אז משה גבל כל-גוים
כאול יסר אלהים:
בתחתית ההר יתיצבו
ולא בקצה נגעו:
אבל כרר משה נגש
אל-הערפל ופגש:
כן אתה בדבריך
אשר כותב בספריך:
רזין בארת רב אורים
אשר עוד לכל טמונים:



IN-

INTERPRETATIO.



Cum Deus Isacidum ferret nova fœdera genti,
Ritusque monstraret sacros,
Adfuit excelso Sinai de vertice montis
Flammam inter, & tonitrua,
Divinum obductus densa caligine vultum.
Cælo micabant fulgura
Intereà, atque atrâ rumpebant nubila luce.
Educta castris agmina
Digerit in numerum, tribuitque ex ordine Ductor,
Certosque figit limites,
Quos transire nefas, propiusque accedere monti.
Clangente demum buccina
Solus inaccessam supremo in culmine Moses
Ingressus est caliginem.
Solus Divini tulit illic lumina vultus,
Verbisque verba reddidit.
Non aliter densas dum cæci ænigmatis umbras,
Et implicata nexibus
Ignotis arcana subis, totumque loquendo
Numen revelas, ALVARE;
Stant alii procul, & tantæ mysteria lucis
Mortalibus non pervia
Mirantur, nec adire audent, pavidoque latentem
Deum colunt silentio.

Comes Petrus Paulus Arrigonus ex Coll. Nobilium.



LE-

LEGATIO LUSITANICA.



QVò rapior? trans Herculeam feror, ALVARE, metam,
Trans Abilam & Calpen, quà Lusitana superbit
Regia, quàque suis sedem sibi Carolus armis
Legerat, Hesperiis cum martem adverteret oris.
Oh queis te curis, oh quà te mole laborum
Vallatum hìc video! non si tot machina rerum
Vrgeat Alcidem, fuerit par ille ferendo.
Nempe tibi rerum cum primùm summa potestas
Venit, & Austriaci tibi contigit, Alvare, Regis
Grande ministerium, sensisti qua tibi mole
Ingruerent turbæ, quid tristia tempora ferrent.
Huc siquidem properare suas jubet Austria turmas,
Huc etiam ad duras accita Boemia pugnas
Magnanimos bello Heroas, peditesque equitesque
Ductoresque vocat. Viden ut Germania toto
Naviget Oceano? Te scilicet omnia solum
Respiciunt, nutusque tuos latè agmina servant.
Quis tibi tunc animus fuerat, quæ dextera, quæ mens,
Tota licet streperet, tremeretque Europa tumultu,
Teque etiam circum fervèrent Oppida bellis?
Anglia si turmas, si mille Batavia puppes
Expedit auxilium Carolo, tua dextera classi
Signat iter, monstratque viam, qua sospite cursu
Prædonum insidias, inimicaque lumina fallat.
Si labat inde fides percussi fœderis, ipse
Primus ades, quaque arte vales pactumque fidemque
Asseris ante alios, partem vigil Argus in omnem.
Scilicet his curis, ceu fomite, pascitur illa
Mecœnas vis illa tuæ vis ignea mentis.
Jam Lusitano de littore plurima pinus
Solvit, & ad ripas velis contendit Iberas
Auspiciis firmata tuis: pars altera classis


Fœta

Fœta auro, fœta annona; pars ære coruſcat
Et clypeis galeiſque, & lecto milite, Regi
Suppetiæ Auſtriaco; pelago quas dum videt imo
Nereus, an redeant, hæret, miracula Cadmi,
Luſiadum-ne recens ſe voluat Nilus in agros.
Quamquam ſuppetias dum contemplamur euntes,
Vidimus Heſperiâ, quà ſe Tagus æquore mergit
Turmatim populos ruere, & te poſcere votis.
Mixtus Eques plebi tectis migrat exul avitis,
Pallidus, æger, inops, poſt tot diſpendia belli
Poſcit opem, duræque petit ſolatia ſorti.
Felices animæ! ſiquidem majoribus omnes,
Alvare, per te opibus, per te ſplendoribus aucti
Dulcius exilium tectis ſenſere paternis.
Sic & ſuppetiis Regi, dum fulminat armis
Heſperiam, ſic & miſeris ades unus amicis
Alvare muneribus, par Alvare pluribus unus.
Herculeas metam ratibus mentita columnas
Fama vetus: Quid fama recens de te ferat, audi.
Meta ſit humanis jam poſthac Alvarus auſis.

Carolus Strada.



VATICANA PURPURA.



NOndum-ne votis flecteris, ALVARE,
Communibus? Nec dimoveant loco
Te Cæsaris nutus? Diu-ne
Romuleo fugies ab ostro?
Firmant tenacem propositi virum
Usque & preces & vota. Diutius
Non ergo cessabit supremi
Imperium arbitri; & annuentem
Sed serò votis excipiet piæ,
Aucto triumpho, pœna licentiæ.
Agnosco fatum: Vaticano
Intonuit Deus ecce Cælo.
O ille pulchrâ lætus adoreâ
Dies! Latinâ cum Alvarus ingemens
Sub purpurâ, victusque victor
Romuleam ingredietur Urbem;
Interque Patrum gaudia, consonos
Interque plausus jam Capitolii
Ad arduas ducetur arces.
Ausoniæ venerandus Aulæ
Succede Princeps. Hæc penetralia
Linguâ disertum, consilio parem
Mirentur; Augustus loquentem
Attonitâ bibat aure Cœtus.

Marchio D. Hieronymus Talenti Florentia
ex Coll. Nobilium.



RE-

RELIGIOSISSIMI PRINCIPIS
Splendor, & Moderatio.



ASTitit hinc facili contenta Modeſtia cultu,
Majeſtas titulis inde, opibuſque potens;
Pugnabant ambæ ſtudiis diſcordibus, ornet
An magis hæc mores, ALVARE, an illa tuos.
Æqua Themis pulchram componat ut arbitra litem,
Siſtat, ait, ſe oculis utraque Diva meis.
Sed poſtquam titulos, grandeſque Modeſtia gazas
Inter, regali viſa nitore micans;
Utque ſupercilii Majeſtas neſcia, cultu
Simplice, viſa ſuum diſſimulare decus:
Fallor, an in Divam duplex Dea tranſiit unam;
Fallor, an in duplicem tranſiit una Deam?
Hæc Themis æqua, pares ſpectans in diſpare Divâ
Mores: & lis ſub judice pendet adhuc.


Abbas D. Gaſpar Talenti Florentia ex Coll. Nobilium.



EPIS-

EPISCOPALES INFULÆ

Catana amiſſum Epiſcopum deflet.



Εἴπετε Σικελικαὶ τ᾽ ἐξ Αἴτνας εἴπετε μοῖσαι,
Εἴθε Σιρακοσίοιο λύραν προσέτ᾽ εἴχετ᾽ ἀοιδοῦ·
Τὰς στοναχὰς Κατάνης, ἄλγη, καὶ δάκρυα Νύμφης,
ΑΛΒΑΡΟΝ οὐκέθ᾽ ἔοι ὡς εἶδεν ποιμένα εἶναι.
Αἴλινά μοι βοῦνοι κλάιοιτε, καὶ Ἄκιδος ὕδωρ.
Τοῦτος ὁ γὰρ ποιμὰν ποτε ποίμνιον ὧδε νομεύων,
Τοῦτος ὁ τοῖς δρυμοῖσι φίλος, καὶ τοῖς ποταμοῖσι,
Τοῦτος ὁ ταῖς ἀγέλαισιν ἐράσμιος ἡμετέραισιν
Ουκετι τὰς αἶγας τούτοισιν ἐν ἄλσεσι βοσκεῖ,
Ουκέτι τὰς γλυκεραῖσι παρὰ κραναῖσι ποτίσδει,
Ουδ᾽ ἠχεῖ κατ᾽ ἀγροὺς ηδ᾽ Αλβάρου ἁδεῖα φώνα.
Αἴλινά μοι βοῦνοι κλάιοιτε, καὶ Ἄκιδος ὕδωρ.
Του γὰρ τοῦδ᾽ ἐνταῦθα παρ᾽ ἡμῖν βουκολέοντος,
Και δρόσος οὐράνοθεν βοτανάς τε τρέφεσκε, καὶ ἄνθη,
Και μήλων αἰὲν τοῦδ᾽ οὔθατα μέστα γάλακτος,
Και καρποὺς ἔφερον πᾶσαν τάδε δένδρα καθ᾽ ὕλαν,
Και παγαι, ποταμόιτε ῥέον καλοῖσι ῥεέθροις.
Ου λύκος, οὐδ᾽ ἄρκτος τὰ κατ᾽ ὤρεα, καὶ κατὰ δρύμως
Πλαζόμενοι ἐφόβουν ὄϊας, ὄλεθρόν τε φέροντες.
Απλώτης καὶ θεῖος ἔρως, πίστις τε, καὶ ἐλπὶς,
Ηδ᾽ ἀγαπὴ, καὶ ἐλεημοσύνη, ἀρετῶν μετὰ ἀλλῶν,
Αιδ᾽ ἐν ἐμοῖς δρύμοισι, καὶ ἄγγεσι ναιεταῶσαι
Τασδε βλάβας, δεινάστ᾽ ἀνέσεις πυκινοῖσι κνέφεασι,
Και σκοτίαις κρύπτας, καὶ θήρια τἄλλα διώκουν.
Αἴλινά μοι βοῦνοι κλάιοιτε, καὶ Ἄκιδος ὕδωρ.
Αυτὴ μὲν Σικελῶν ἦν ἄρτι τρισόλβια Νυμφῶν
Και πλεῖστ᾽ εὐχομένη ὅτι ποιμένα Αλβαρον εἶχον·
Νῦν δ᾽ ὅταν ἠδ᾽ ἄλλη μοι ποιμένα τοῦτον ἔκλεψε,
Τις Σικελῶν μᾶλλον δύσανος ἂν ἔασετ᾽ ἐμεῖο;
Τιγαροῦν μοι πάντα μελίσδετε πένθιμον ᾠδὰν
Και φυτὰ καὶ δρύμοι, καὶ ἐν ἄλσεσιν ἄδονες οὖσαι
Αι πρότερον πυκινοῖσιν ἀειδόμεναι ποτὶ φύλλοις
Τόιδ᾽ ὄλβον μὲν ἐμὸν καὶ τοὔνομα Ἄλβαρε σεῖο
Και κραναὶ, ποταμόιτε, νάπαι, καὶ μηκάδες αἶγες,
Και βοῦνοι, καὶ δένδρα, καὶ ὕλα, κ᾽ Ἄκιδος ὕδωρ.

Comes Antonius dal Verme Princ. emer.

PA-

PARAPHRASIS.



VOs quoque Sicelides Ætnæ de vertice nymphæ,
Siqua Syracosii Pastoris fistula vestris
Spirat adhuc sylvis, memores mihi dicite divæ,
Quos gemitus (audistis enim), quas vallibus istis
Multa querens lachrymas Catanæ sacra Nympha cieret.
Illa sibi erepto nuper Pastore dolebat
Mœsta sedens gelidum frondentis ad Acidis amnem
Narrabatque suos sylvisque, undisque dolores.
Flete meis sylvæ lachrymis, flete Acidis undæ.
Alvarus has valles, hæc culmina Pastor amabat;
Et procul Ausonia quamvis detentus in urbe,
Ipse suum præsens animo ducebat ovile,
Et vigili cura, patrioque regebat amore.
Nunc silet omne nemus; Pastorem nuper ademptum
Herbiferi colles, vallesque queruntur opacæ.
Flete meis sylvæ lachrymis, flete Acidis undæ.
Hoc Pastore gregem placidus spectabat Olympus,
Lætaque Cœlesti stillabant gramina rore.
Quin etiam frondens sylva hæc, atque humida vallis
Cœlicolas quoties exceperat hospita divos?
Vidi ego solliciti cum nutu Præsulis omnes
Divus amor campos, sylvasque invaderet omnes.
Dum varia montes cingens indagine prædam
Retibus hinc, jaculis illinc urgebat acutis.
Quem circum accinctæ, Venatrix turba, Sorores,
Candida Simplicitas, mendacis nescia fraudis,
Huic comes, & duris veniens Patientia rebus,
Religioque, sequens vultu Spes læta sereno,
Mille jugis divæ glomerantur, & antra lacessunt.
Improvisa polo cum vox delapsa per auras
Detulit amissum Pastorem: protinus omni
Turbatum sylva: tristis chorus omnis ab armis
Cessit; & è summo gemuerunt vertice Nymphæ.
Aliger ipse puer mœrens & tristibus errans


Cre-

Crebra gemit dumis, & rupibus in desertis.
Flete meis sylvæ lachrymis, flete Acidis undæ.
Ipsa etiam divi pulcherrima mater amoris
Alma Fides gressum per devia lustra ferebat
Clarior, & nebulis ceu candida cynthia pulsis,
Cæperat insolitam vultu diffundere lucem,
Sylvarumque sinus, tacitosque subire recessus.
At vitrei nuper viridem dum fontis ad oram
Agrestem traheret turbam, ac divina doceret,
Aspexit subitam descendere montibus umbram,
Exclamatque, sinus palmis percussa decoros:
Alvarus hos fontes, hæc Alvarus arva relinquit.
Flete meis sylvæ lachrymis, flete Acidis undæ.
O Ætnæa lupi quicumque hæc lustra tenetis,
Thoes, & ò duris crudeles dentibus ursi,
Non ego vos ultra pecoris secura timebo;
Alvarus hic regnat; satis est; vos ite sub umbras,
Ite feræ; in cæcas vos impulit ille latebras.
Talia jactabam vitiis elata subactis;
Cum subito (miserum!) formas ululare luporum
Audivi; thoesque, & sævi dentibus ursi
Decurrere jugis, gemitumque in valle dedere.
Flete meis sylvæ lachrymis, flete Acidis undæ.
Urbs mea Sicano fortunatissima nuper
Littore, quæ tanto tollebas Præsule frontem,
Et reliquas puris vincebas moribus urbes;
Dic, age, qualis honor superis, qualisque micabat
Majestas Templis, & sacras fulgor ad Aras.
Plus tamen ornabant digni sua templa Ministri,
Plus Populi pietas, poteras quibus, Alvare, sensus
Inspirare tuos, sanctasque inducere leges.
Urbs modo Sicanis flebis tristissima ripis,
Qualis & ignivomis dum detonat Ætna cavernis,
Mœsta vides rapidis populatos ignibus agros;
Qualis & horrifico terræ concussa tremore
Errabas turres, convulsaque mœnia circum,
Et super ipsa tuas lachrymabas ægra ruinas.
Talis erat luctusque tuus, mœrorque tuorum,

Romu-

Romulidum triſtis veniens cum rumor ab urbe
Vultus atque animos jactura implevit amara.
Flete meis ſylvæ lachrymis, flete Acidis undæ.
Alvarus urbis honor, felicis paſtor ovilis,
Pauperibuſque pater, rebuſque levamen in arctis.
Non ita plena meis voluuntur flumina terris,
Seu ferat in præceps torrens Amanenus arenas,
Seu magno Simethus agris ſe ſe invehat amne;
Non ita mutatus liquidas fugis Acis in undas,
Pauperiem ut Siculis ditaverat Alvarus oris,
Aurea munificâ diffundens flumina dextra.
Hæc ego nunc memorans luctu conſumor acerbo;
Nunc lachrymas fundo: Quod ſi diſcedere ab iſtis
Littoribus poſſem, liquidumque innare per æquor
Sicut & Alpheum fugiens Arethuſa ſequentem
Doridos intravit ſedes animoſa marinæ,
Non dubito, enaſſem Romani ad littora Tibris,
Et Vaticani conſcendens aurea collis
Limina, Paſtorique pedes amplexa ſupremo
Oraſſem, lachrymas fudiſſem, pallida vultu
Tentaſſem mœſto; ne caro orbata Parente
Regrederer; precibuſque meis fors ille dediſſet.
Quod ſi fata meis fuerant contraria votis,
Et te tantus honor Regalis Nympha *manebat,*
Erepti ſaltem petiiſſem Præſulis Ædes,
Ut daret optatos peregrinæ cernere vultus,
Oſculaque emeritæ ſupremùm figere dextræ.
Flete meis ſylvæ lachrymis, flete Acidis undæ.

Comes Petrus dal Verme.



MONS-

MONS-REGALIS

Datum ſibi Archiepiſcopum gratulatur.

O Paſtor, ſoboles, amorque Divûm,
O & præſidium, decuſque noſtrum,
Gregis delicium beatioris,
Quem rector ſuperûm ſerenus, urnâ
Sortitus niveâ mihi volenti
Et ſponſum dedit, & dedit parentem;
Dum te fama volans citante pennâ
Quà Calpen mare pulſat æſtuoſum;
Quà Suevos gelidæ tegunt pruinæ,
Et Iſtro rapido, ſacroque Tybri
Conceſſum mihi cœlitum favore
Et ſponſum canit, & canit parentem.
Quot gentes, ſuperi! quot è remotis
Movit ſedibus illa Civitates,
Ut laudem canerent meo Parenti,
Ut ſponſæ canerent Hymen ſorori?
Jam, quamvis ſedeam jugo virenti,
Nec turrita nimis, nec ampla multùm,
E ripis caput erigo Sicanis;
Me circum modo pendet, invidenſque
Plaudit nobilium urbium corona.
Illæ magnificæ, frequentiores,
Florentes opibus, potentiores,
Diverſæ genioque moribuſque,
Uno me tamen ore prædicabant
Tuis auſpiciis, tuoque amore
Florentem nimiùm, nimis beatam.
Sed tantis ego plauſibus modeſtè
Leni gaudia temperans querelâ
Dolebam, quod amantis ora Patris,
Paſtoriſque, quod anuli decori
Ornandam viridi manum ſmaragdo
Nec videre licet, nec oſculari.
Hoc deſiderium levare cunctæ
Ut teſtes oculis ſuis parabant.

Fron-

Frondenti caput impedita lauro
Tunc Salmantica, Barcinoque fortis;
Tunc & Vienna potens, Ulyssipoque, &
Roma principe fulgurans Tiarâ
Certabant habitum, tuosque vultus,
Et dotes animi suavioris
Quæ laude exprimeret magis disertâ.
Nostris altera dixit in lyceis
Hoc vidi sapientiam magistro
Claro currere fonte clariorem.
Ripis, addidit ista, Lusitanis
Solantem miseros, opemque vidi
Profusâ exulibus manu ferentem.
Sed non degeneres ego dolentis
Fletus, Vienna refert, in ore vidi,
Longâ cum prece Carolo reluctans
Ostri respueret decus latini.
Non vicere preces, secuta Roma est,
Hunc vidi, videoque Purpuratos
Inter conspicui Patres Senatûs
Curis, consilio, vigore mentis,
Virtute, officiis, amore recti,
Effusâ facilique comitate
Tot dives radiis jubar micare.
Dum laudes canit hæc, & illa: turbâ
Processit mediâ Sicana nympha,
Quæ sub flammivomâ latebat æthnâ;
Amplectensque suæ manum sorori,
Quem nobis rapuere fata, dixit,
Pastorem vigilem, pium parentem
Concedi tibi nympha gratulamur.
Qui sit forte rogas: fatebor, illum
His tecum siculis remota ripis
Non vidi: ille tamen mihi vel absens
Quam charus fuerit loquar. Loquentis
Hic voces dolor impedit, disertisque
Ubertim lachrymis rigavit ora.

Comes Ludovicus Siccus Suardus ex Collegio Calchorum Princ. emer.

LE-

LEGATIO ROMANA.



O Diva læta pulchrior iride,
Quæ dira terris prælia dimoves
Pax principum præsens potentum
Nectere perpetuos amores,
Irâ nec ullâ dissociabiles,
Descende Cœlo; te placidis vocat
Festivus undis Tibris, altæ
Te Latii dominantis arces.
Clarus recentis sidere purpuræ
Felixque regum jungere fœdera
Nunc Cæsaris Legatus Aulam
ALVARVS ingreditur latinam.
Hic ille custos scilicet, aureo
Quem destinabas provida vinculo,
Quo principi jungis Tiaræ
Imperium, Carolumque Magno
Orbis parenti. Nodus amabilis!
Quem læta spectent lumine sidera,
Nec gemmeæ gazis Erithræ
Nec gemino redimendus Indo.
Custode Cœlo nodus, & Alvaro
Custode dignus; quo stetit Imperj
Immota vis, quo cultus aris
Floruit intemeratus, hostes
Contra rebelles. Cernis ut impius
Horrenda rictu sanguineo furor
Frendat, sacri si fortè posit
Vincula dissociare nexus?
Frustra: Tibi dum creditur Alvare
Hæc cura, cauti cui vigor ingenj,
Vsusque rerum, cui redundans
Eloquii famulatur amnis.

Tanto


Tanto ſodales officio pares
Adduntur illinc Religio & fides
Jurata dudum Vaticano;
Hinc vigilem pietas adurget
Curam, & merenti debitus Auſtriæ
Amor, nec unquam Cæſaris immemor.
Sic fauſtitas albis quadrigis
Auſtriaco volitabit orbe;
Sic & quieto Regna ſilentio
Leges ſupremi Præſulis audient;
Sic Caroli livor minacis
Fulmineum trepidabit enſem.

Benedictus Homodeus.



In idem argumentum.

COMUNIS BENEVOLENTIA.




AUreus ut primum triſtes deterſerat umbras
Phoſphorus, & noctem vicerat illa dies,
Qua te Romuleam Legatum Cæſar ad Urbem
Miſit, & auguſtas juſſit obire vices,
Errabat propter tiberini fluminis undas
Fama, & ſe medio ſuſtulit axe volans,
Inflatiſque tubis, hæc, quæ polus audit uterque,
Dicitur aoniis concinuiſſe modis:
Nunc ò nunc Romæ ſtabilem concordia ſedem
Figat, & æternâ pax coitura fide.
Tum Dea, quæ faciles animos ſibi jungit amicis
Nexibus exeruit nubibus alma caput;
Ter circum Capitolia obit, ter candida riſit;
Inde tuas, Princeps, conſtitit ante fores.
Quam fama ut vidit, pernicibus ardua pennis
Hinc Rhodani, inde Tagi ad littora tendit iter;
Mox ad Luſiadas, mox veſtras, Sarmatæ, ad arces:
Et pax, ingeminat, pax ſtetit alma Tybri;

Alva-

Alvarus austriacos, virtutis præmia, fasces
Tractat, & augustum munus in Urbe gerit;
Prævertensque scabras animis adrepere lites,
Qua prudens pollet dexteritate, vetat:
Hæc ubi dicta dedit Populis Dea nuncia pacis,
Ad latias rediit fessa labore vias;
At subitò erubuit, Mecœnas inclyte, factis
Cum sua conspexit dicta minora tuis.


Antonius Gallarinus ex Coll. Calchorum.



AD



AD LAUREATUM.



ORATIO.



TOt inter titulos, & argumenta tuarum laudum, quæ Oratorem circumſtant, Sapientiſſime Laureate, neſcit quo ſe convertat, quorſum evadat Oratio. Hinc ſplendidus apparatus, & rerum nitor elegantiſſimus, ſymphoniaci muſicorum chori, feſtus Academiæ univerſæ plauſus, & acclamatio; inde nobiliſſimæ, & eruditæ coronæ concurſus par, & celebritas; decus ſanè ingens, & dignitas Viri maximi, qui Purpurati Principis vices ſuſtinet; ipſiuſque in primis Eminentiſſimi Mecœnatis grande nomen; hæc, inquam, omnia in partem veniunt gratulationis meæ. Quare ut modum habeat oratio, laudibus tuæ Laureæ cæteris diſſimulanter præteritis, unum illud perſequor longè maximum; gratulor tibi ſcilicet ampliſſimum Mecœnatem, & quàm jure optimo ejus patrocinio fruaris, paucis oſtendo.

Atque ille quidem habet numeros Mecœnatis omnes, & partes implet. Peracre ingenium, lautà, & locuplete eruditionis multiplicis ſuppellectile prolixè inſtructum, exquiſitum judicium litterarum, Litteratorum æſtimationem æquiſſimam, perceptionem ſanctiſſimæ hujus facultatis intimam, & ejus reconditioris doctrinæ, qua in Salmanticenſi Athenæo, Emporio illo Scientiarum, perdiù evolvendà uberrimos legit admirantium plauſus. Quid ſi adjiciam excelſitatem animi quandam, ſeſe nonniſi ad ſumma ferentis, munificentiam vetere illo Mecœnate apud Auguſtum potentiſſimo dignam, prudentiam, dexteritatem in arduis lubriciſque negotiiſque delicatè, & ſuſpensà veluti manu tractandis, quaſ-

que

que omnes in eo dotes Roma, illud amplitudinis, dignitatisque domicilium miratur? An non rectè facere videor, qui tantum tibi auspicem gratulandum putem, Sapientissime Laureate? Porrò si vestrum quis à me postulat, Auditores, quid fecerit Laureatus, Eminentissimum Mecoenatem suæ Laureæ conciliaturus, Plinianum illud respondeo, nihil aliud fecit nisi quod meruit. Meruit Purpurati Principis Patrocinium præstans Clientis hujus Sapientia, & spectatissima Pietas, quam utramque satis pro dignitate explicare non possum. Exhibe Braydensis Academia, exhibete Partheniæ Sodalitates tabulas, annalesque vestros. Extant in illis scilicet vestigia abs Laureati sapientia, & pietate non pressa leviter ad exigui prædicationem temporis, sed altè infixa ad memoriam nominis immortalem. Nam, quod attinet ad sapientiam, nunquam tu verò contentus levis superficie doctrinæ, hærere affixus eruditis chartis, impallescere libris, excubare avidissimè in occasiones omnes rei tuæ litterariæ cumulandæ, nunquam feriari, nunquam cessare, vel indè maximè, quod ait Seneca, ingenuum animum, & ad rerum fastigia natum, te probans, quòd labore nutriris. Et quanquam elucere in te dicebatur micantior ad politiores litteras indoles, graviora tamen ad studia Philosophiæ, ac Theologiæ traductum, ubique vidimus te tui similem, ubique summum. Ac videte, Auditores, quàm nihil adulterinum veritati affingam; apertè prædico, præque me fero solitum esse Laureatum severioribus hisce studiis aliquid interferere otii, & laxamenti. Quid verò illud tandem? Delectatur breviusculis excursionibus in amœnissimas Pindi regiones; ibique regustat ex intervallo pöeseos latices, adeò dulces olim & familiares. Quam demum esse putetis illius Sapientiam, cujus unis oblectamentis mortalium multi & habentur, & sunt doctissimi; aut quem digniorem Amplissimo Cardinali Clientem, quam illum, cujus vel recreari sapere est? Hæc verò, ut magna sint, & tanta, minoris tamen arbitror æstimanda, si cum pietate, cæterisque animi tui virtutibus conferantur. Comitatem loquor, & humanissimam morum facilitatem, quæ summis æque atque infimis acceptissimum facit; perpetuum religiosæ vitæ ductum, quem nulla deterioris exem-

pli

pli vis & illecebra inflexit; libertatem benè agendi quandam, nec præposterâ verecundiâ timidam, nec tumidam jactantiore sui æstimatione; eximium Deiparæ vel à teneris cultum, studium propagandæ Religionis acerrimum, eloquentiam planè auream cum apta rerum, ac verborum dignitati, vocis, & corporis conformatione. Quantum est illud ad commendationem tuæ pietatis insigne, quod pöeseos, qua excellis, clarissimæ venam nisi sacra in argumenta nunquam derives? Quantò illud etiam illustrius, quòd in hoc flore adolescentiæ sacris jam è rostris cum plausu, & dignitate perores, cædibus olim magnis vitio inferendis proludens? Dabis veniam, Sapientissime Laureate, si exclusus angustiis temporis, ut fit in brevibus tabellis, & punctim fermè descriptis, non res tuas omnes cum laude gestas, sed rerum velut apices auditoribus exhibere cogor. Ut maximè persequar & tuum apud Rhetores Principatum, & cætera pietatis, ac sapientiæ decora, quibus te ornavit Braydensis Academia, nullam dicam laudem ampliorem illâ, quam hodierno die ab auspiciis Mecœnatis Eminentissimi consecutus es. Unum hoc decus instar est omnium, quæ de te meritò prædicari possunt. Major hinc gloriæ cumulus, major tibi apud omnes existimatio accedit, quòd Purpuratus Princeps non hac modo die breve tuæ Laureæ commodat patrocinium; sed te olim semper in fidem, ac clientelam accipiet, & amplissimo nomine tueri impensè perget. Dixi.

Die 31. Julii 1726.

IMPRIMATUR

F. Bernardus Maria Cimegotti Sacræ Theol. Prof. Ord. Præd., Sancti Officii Mediolani Commissarius.

Franciscus Curionus pro Eminentissimo, & Reverendissimo D. D. Cardinali Odescalco Archiepiscopo.

Gallarinus pro Excellentissimo Senatu

